



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Saxonia || Et || Metropolis || Alberti Crantzii || Historici
Doctiss. Sacrae || Theologiae & Iuris Canonici Doctoris ||
celeberrimi, ac Ecclesiae Ham-||burgensis quondam
Decani**

Krantz, Albert

Coloniae, 1574

Capvt XXXI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11453

quã prius manu, se in oppidum, quod adhuc Holsati tenuere, collocavit, ad expugnandum montem. Sed tum fluxus ita sanguinis ceperat inter milites grassari, ut oppugnationem intermittere cogerebantur. Tum vero rex validius iussit incumbere de monte, recepitque oppidum: & sciens in quosdam ex ciuibus maiores, rotis & gladio, quod perfidiam illis aduersus sacramenta imputaret, enecavit.

CAPVT XXXI.

Quo tempore, cum vel diffiderent rebus Holsatia, vel premijs magnis a rege inuitarentur, aut non satis gratum in se suorum animum experirentur, aut iniurijs affecti a domina duce, vel comite (res enim in obscuro est) omnibus his causis, aut quibusdam earum una, quidam ex Holsatorum primoribus, Ericus Krummedick, Otto Knop, Tymmo & Elerus Ronnow milites, Marquardus & Nicolaus de Döwisch, & N. Seestede, ad regem transierunt. Rex inde arces, munitiones & praesidia locis opportunis, quibus non erant, erexit, & quae ante fuerant, firmavit. Ad ostium Sleesmunde, Konningborg, in Zwantze, & Wiltspange, properium Treia, de parte ducatus in insulam Iurgenborg rex copias quasdam militum collocavit: Sed ponte facto, unius vel duarum noctium praesidio, Holsati ad eos peruenerunt, spoliisque onusti redierunt. Archiepiscopus Lundensis constituerat in Sleswico officium metropolitani peragere, in quam rem omnem supellectilem pontificalem preciosis iunctis vestibus, nauis imposita, iussit petere locum memoratum: Sed quidam Holsatie partium, nauibus egressi de Kilone, excubabant ad praedam: dictamque nauim aggressi ceperunt, inque portum Kilonensem perduxerunt. Aurum & argentum inesse putabatur non

parui ponderis: Plurima in vtraque partem hostilia
 moliantur, alternatis, vt fieri solet, incommodis. Sed ta-
 men arces nouas sine praesidio relictas facile deiecerunt
 Holsati. Tunderen arcem praecipuam, quam regina du-
 dum, data pecunia, in pignus habebat, cum Ericus com-
 mendatam haberet, ipse pro quibusdam causis abiens
 mandasset Nicolao de Tinen, Holsati nihil timenti su-
 peruenere: & partim vi, partim insidijs recuperarunt.
 Doluit vehementer Ericus miles memoratus: nam pri-
 mam eam operam apud regem non bene nauasse vide-
 batur. Quocirca regis iussu, magnis iterum viribus con-
 tractis, eandem arcem obsidione cinxerunt, oppugnau-
 runtque. Sed cum ex arce iaculantes fortius se tueren-
 tur, cecidere obsidentium animi, & arce relicta, redi-
 runt in sua quisque. Per quae tempora, quod in Dania
 diximus, nunc breui attingemus, opera Lubicensium,
 quorum senatu rex factus exequutor Imperialium man-
 datorum, ciuitates maritimae vsque in orientem Gri-
 peswald, regi Daniae confederantur hoc modo: Si bel-
 lum ingruat regi, paratusque sit stare in iustitia ad ar-
 bitros idoneos, mille armatis ei militabitur ex eis vrbi-
 bus. E diuerso, vbi ciuitatibus quid tale immineat, rex
 idem faciet, dummodò iustitiam eorum ipse in manibus
 habeat: Interea ciuitatum incolae in regnis libere ad pra-
 scripta vetera negociabuntur, euntes, redeuntisque. In
 eandem confederationem rex multa peregit, vt Thiet-
 marsos quoque constringeret. Sed illi à laqueo liberum
 seruauere pedem, veriti, nè circumueniantur: quauis
 euocatos ex maioribus quosdam, honore & donis affice-
 ret: quae vna est via emolliendi populi, quod est explora-
 tum. Hoc tamē polliciti sunt, vt cum rex omnē Holsatiam
 sua fecerit ditionis, ipsi arcē Hanrow suscipiant expu-
 gnandam.